



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observationes in Cap. XXII. De Concubinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Uxor Dotem & Donationem amittit, & de iis, in quibus Dotem recuperat, & Donationem lucratur. Canones his in *Regulis* laudati, desumpti sunt ex Legibus Civilibus, & ad eas confirmandas conditi fuere. *Reg. IX.* quæ dicit, Judicem Ecclesiasticum de restitutione Dotis cognoscere posse, & Canon ibi laudatus, exolvere; Judex Secularis jus suum recuperavit. Principes, qui hunc Casum Ecclesiæ dimiserant, expedire duxerunt; ut sui Judices de eo cognoscerent. Duæ novissimæ, quæ respiciunt Donationem propter Nuptias, Jus Civile respiciunt.

OBSERVATIONES in CAP. XXI. de Secundis NUPTIIS.

Secundæ NUPTIÆ contrahi possunt, vel antè prioris Matrimonii dissolutionem, vel post: quod non accidit, nisi per mortem alterius Conjugis, si Matrimonium sit consummatum; vel Professionem Religiosam, si nondum sit consummatum. Autor plures admittit casus dissolutionis; quæ in re procul dubio fallitur. II notabuntur, postquam monuerimus, secundum Matrimonium, post dissolutionem primi, validum semper fuisse; idemque obtinere, quoad alia subsequencia: Interdictum autem à quibusdam Canonibus latum, nusquam fuisse, nisi Impedimentum prohibitivum, quod ex multis retrò Sæculis fuit sublatum. Quoad alia Impedimenta prohibitiva, quæ vigent, quoad prius Matrimonium, ea locum habent ergà posterius, sicut omnia Impedimenta dirimentia, quæ etiamnum vigent. Nullum est, quoad Capita hæc, discrimen inter prius & posterius: unicum superest, videlicet, quod non benedicatur posterius; quod restringendum est ad Benedictionem accidentalem, nempe eam, quæ sequitur Conjunctionem Conjugalem, quam operantur & pariunt, juxta opinionem probabiliorum, consensus Patrium, & verba Ministri.

Hi sunt errores Autoris, seu veri seu speciosi, qui sunt in Exceptione II. *Quæst. II.* Primus, est in Secunda Replicatione: dicit, Sponsam, non Uxorem, dimissam, rursus nubere posse. Si per, *Sponsam*, intelligat *Conjugem*, ut intelligunt *Canones* 32. 33. 34. *CAU. XXVII. QUÆST. II.* ubi agitur de casu, quo Conjug *Titii* rapta fuit à *Mævio*, qui eam cognovit; Canones dicunt, eam rursus nubere posse, si à marito dimittatur: quod restringendum est ad Casum mortis mariti. Restrictio adjecta id insinuat; nempe, si Raptoris sceleri non consentit. Idem est de prohibitione Raptori facta uxorem ducendi, quæ est sequela Pœnitentiæ publicæ, cui Raptus erat obnoxius.

Secundus Error, est in Secunda Replicatione: dicit, Incestum ab altero Conjugum cum aliis Cognatâ commissum solvere Matrimonium, quoad innoxiam Partem. *Can. 23. CAU. XXXII. QUÆST. VII.* laudatus, ad id probandum, exponi debet sicut præcedentes.

Tertius, est in Quinta Replicatione: dicit, Maritum, qui Uxorem, ob sterilitatem, dimittit, aliam ducere posse. Canon prior, quem laudat, nempe *Can. 18. ibid.* non loquitur de casu Sterilitatis, sed de casu Impotentia Matrimonium subsequenti; & à plerisque erroneus creditur. Canon *Si quis cum, 24. QUÆST. laudatæ*, loquitur de casu Incesti, sicut 24. supra expositus. *Canon 2. Requisivisti, CAU. XXXII. QUÆST. I.* respicit Impotentiam antecedentem.

Quartus, est in Sexta Replicatione: dicit, eum in cuius vitam alter machinatus est, secundum Matrimonium inire posse. Canon laudatus loquitur de casu, quo superstes est Machinator, cui Matrimonium subsequens mortem læsi conjugis interdictum erat, propter Pœnitentiam publicam, cui subiacebat.

Quintus, est in Decima: dicit, quod, si metuatur, ne maritus uxorem adulteram occidat, licentia aliam ducendi ipsi concedenda est. Canon laudatus 9. *CAU. XXXIII. QUÆST. II.* contrarium dicit. *VIGELIUS* ideò deceptus est, quod *S. AUGUSTINUS*, Autor Canonis, advertens, Adulterium esse crimen minus homicidio,

dicat; virum, qui ad alterutrum propensus est, minus malè acturum, uxorem aliam ducendo, quam occidendo; ut libertatem consequatur. *Si facturus est, quod non licet, jam faciat Adulterium, & non Homicidium.* Qualificatio Adulterii, quam *S. Doctor* his Nuptiis tribuit, perspicue ostendit, eum ipsas illicitas duxisse; Idem probat sermo præcedens, nempe, *Vir uxorem adulteram occidere nequit, nec aliam ducere, quamdiu hæc vivit*: si autem occidat, ut deinceps aliam ducat, pervenit ad id, quod illicitum est, per rem, quæ etiam illicita est.

Sextus error, est in Replicatione Exceptionis IV. ubi sine restrictione dicit, uxorem Subdiaconi, qui ab Ordinis sui functionibus abstinere maluit, quam à Matrimonio; rursus nubere posse, illo mortuo: porro, id verum non fuit, nisi quoad Subdiaconos Siculos, qui duxerant Uxores, antequam Celibatus Subdiaconorum in illa Regione institueretur: itaque casum particularem in Regulam transfert.

Impedimentum, de quo in hac Exceptione agitur, erat merè prohibitivum, & proveniebat ex Voto Continentiæ; cui adstringebatur mulier, quæ consentiebat, maritum suum accipere Ordines Sacros. Idem est de iis, de quibus loquuntur Exceptiones V. & VI. nempe Conjugis, qui occiderat, aut machinatus erat in vitam alterius; & ejus, qui puellam rapuerat: hæc Impedimenta proveniebant ex Pœnitentiâ publicâ, cui obnoxia erant crimina hæc, & dispensationem patiebantur in periculo incontinentiæ.

Pleraque eorum, quæ hic dicta sunt, ad Impedimentum vinculi pertinent; quapropter Autor ea melius collocavisset in *CAP. XIII. & XIV.* ubi consultò agitur de Impedimentis Matrimonii.

OBSERVATIONES in CAP. XXII. de CONCUBINIS.

REGULA, quam Autor proponit principio, Concubinatum esse Societatem licitam, expositione indiget: Nam, si verbum accipiat in significatione ordinariâ, nempe, pro contubernio duarum Personarum, quæ vivunt quasi Maritus & Uxor sine vinculo Matrimonii; Concubinatus semper illicitus est: ex adverso, si, per hoc verbum, intelligat Matrimonium non solemne, vulgò dictum *Matrimonium Conscientiæ*, verum est, hunc Concubinatum esse licitum, modo palam habeatur pro Matrimonio non solemnem. Differt à Matrimonio solemnem, in eo quod fiat sine Conventionibus Matrimonialibus; Uxor nomen suum retinet; non fruatur honoribus Mariti; agit & contrahit nomine suo; nullum habet jus in Bona Mariti, neque in acquisitiones, quæ, stante hoc contubernio, fiunt; Liberi nec suis Parentibus, nec Majoribus succedunt.

Autor laudat Canones, qui loquuntur de hac specie Concubinatus, eamque approbant. Laudat quoque eos, qui eum Clericis interdiciunt, quia Matrimonium non solemne, non satis honorabile est, respectivè ad illorum statum.

OBSERVATIONES in CAP. XXIII. de CONCILIIIS.

Argumentum hoc hic malè collocatur: sedes germana ipsius erat *Caput I.* hujus *Libri*, ubi agitur de Fide & Doctrinâ Christianâ; ad Concilia enim pertinet Decisio eorum, quæ ad utramque pertinent, & illorum Definitiones, fiunt pars rerum, quæ credi ac doceri debent. Argumentum malè cum præcedentibus connectitur, dicendo, quod, enumeratis juribus Personarum, Rerum & Actionum, æquum est agere de Conciliis, quæ ista constituunt; hanc enim ob causam, illud referre debuisset ad finem Operis; neque enim minus ordinant materiam *Libri V.* quam *Quatuor* præcedentium: hæc ratio nihilomagi convenit Visitationi, quam Conciliis immediate subjicit, & cui eam accomodat. Sed excusat eum, quod Concilia & Visitatio sint Actus Ecclesiastici, & *Librum IV.* destinavit, ad illos Actus explicandos.